

ENTRÉE : ÉCRIRE L'HISTOIRE

TEXTE

Mort d'Atticus

Cornélius Népos, *Vie d'Atticus*, chapitres XX (fin) à XXII

Cornélius Népos nous a laissé une biographie d'Atticus, l'ami de Cicéron. Dans les lignes qui précèdent, l'historien a expliqué qu'Atticus avait su conserver l'amitié d'Octave et d'Antoine, les deux adversaires de la guerre civile. C'est cette situation de neutralité qui est désignée par le pronom hoc au début du texte.

XX. Hoc quale sit, facilius existimabit is qui iudicare poterit quanta sit sapientiae eorum retinere usum benevolentiamque inter quos maximarum rerum non solum aemulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat quantam fuit incidere necesse inter Caesarem atque Antonium, cum se uterque principem non solum urbis Romae, sed orbis terrarum esse cuperet.

5 XXI. Tali modo cum VII et LXX annos complisset atque ad extremam senectutem non minus dignitate quam gratia fortunaque crevisset (multas enim hereditates nulla alia re quam bonitate consecutus est) tantaque prosperitate usus esset valetudinis ut annis triginta medicina non indignisset, nactus est morbum quem initio et ipse et medici contempserunt ; nam putarunt esse tenesmon, cui remedia celeria faciliaque proponebantur. In hoc cum tres menses sine ullis
10 doloribus praeterquam quos ex curatione capiebat consumpsisset, subito tanta vis morbi in imum intestinum prorupit ut extremo tempore per lumbos fistulae puris eruperint. Atque hoc priusquam ei accideret, postquam in dies dolores accrescere febresque accessisse sensit, Agrippam generum ad se accersi iussit et cum eo L. Cornelium Balbum Sextumque Peducaeam. Hos ut venisse vidit, in cubitum innixus : « Quantam » inquit « curam diligentiamque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, eum vos testes habeam, nihil necesse est pluribus verbis commemorare. **Quibus quoniam, ut spero, satisfeci me nihil reliqui fecisse quod ad sanandum me pertineret, reliquum est ut egomet mihi consulam. Id vos ignorare nolui, nam mihi stat alere morbum desinere. Namque his diebus quidquid cibi sumpsi, ita produxi vitam ut auxerim dolores sine spe salutis.**

20 **Quare a vobis peto, primum ut consilium probetis meum, deinde ne frustra dehortando impedire conemini. »**

XXII. Hac oratione habita tanta constantia vocis atque vultus ut non ex vita, sed ex domo. in domum videretur migrare, cum quidem Agrippa eum flens atque osculans oraret atque obsecraret ne ad id quod natura cogeret ipse quoque sibi acceleraret et quoniam tum quoque
25 posset temporibus superesse, se sibi suisque reservaret, preces ejus taciturna sua obstinatione depressit. Sic cum biduum cibo se abstinisset, subito febris decessit leviorque morbus esse coepit. Tamen propositum nihilo setius peregit. Itaque die quinto postquam id consilium inierat, pridie kal. Apriles Cn. Domitio C. Sosio consulibus decessit. Elatus est in lecticula, ut ipse praescripserat, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi
30 frequentia. Sepultus est juxta viam Appiam ad quintum lapidem in monumento Q. Caecilii, avunculi sui.

Cornélius Népos, *Vie d'Atticus*,
texte établi par Anne-Marie Guillemin
CUF, Paris, 1923.